



XXII.

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE  
**AUTORITATE**  
**JURIS,**

Quam

Numinis Summi Auspiciis  
Decretoq; Nobilissimæ Facultatis Juridicæ  
in Almâ Gryphiswaldensi Academiâ

P R A E S I D E  
**VIRO AMPLISS. EXCELLENTISSL.**


NOBILISSIMO

Dn. JOHANNE POMERESCHIO,  
J. U. D. Professore Ord. & p. t. Jurid. Facult.  
DECANO Spectabili; Mœcenate Fautoreq; suo ætatem  
colendo & honorando,

Pro impetrandis summis in utroq; Jure Hono-  
ribus & Privilegiis Doctoralibus  
solemni disquisitioni


Ad diem XVI. Septembris ANNO M. DC. LVI.  
In Curia Urbana horis solitis  
subjicit...

JOANNES CHRISTIANUS Mühlenkampf /  
Peinensis Saxo.



GRYPHISWALDI,  
Typis Jacobi Jegeri Acad. Typogr. exscripta.

212



In nomine DOMINI nostri JESU

CHRISTI ad omnia consilia actus-  
qué progredimur. l. 2. C. ad Praef. Prae-  
tor. Afric.

I.

UM in omni tractatione prior  
verborum potior rerum debeat  
esse ratio, juxta leg. 7. ff. de supell.  
leg. l. 1. de rebus dubiis. & per nomi-  
num enucleationem in ipsa re-  
rum penetralia devehamur, ex  
judicio subtilissimi Scaligeri exer-  
cit. 19. Nos de AUCTORITA-  
TE JURIS paucis quædam delibaturi, exemplo Jcto-  
rum nostrorum, & ex præscripto Philosophi; verba  
sive nomina, rerum notas ac signa esse, tradentis Arist.  
lib. 1. περ ἐργ. c. 1. adde l. 6. de alim. legat. in notationem  
utriusque vocabuli inquiremus.

II.

Auctoritatis vocabulum, quin ab auctore descen-  
dat, dubitari vix potest. Auctor verò unde dicatur  
non usque patet. Balduinus ad tit. de auctoritate tutorum  
à Budæo se audivisse scribit: Proficiisci à verbo Græ-  
co αὐτὸς, quo veteres ratam alicujus potestatem signi-  
ficarunt. Qnod attinet Juris, quæ vox subjectum hic  
est, derivationem vel deductionem, notum est Ulpia-  
num in l. 1. de Just. Et Jure dicere: Jus à Justitia esse  
appellatum, notatione non tam Grammatica quam  
Juridica.

A 2                    Utrius-

## III.

Ultriusque vero tam subjectum quam praedicatum  
 Rubricæ sive tituli, ut ita loquahimur Polysonum est,  
 & variæ acceptio[n]is. Quod Auctoritatis vocabulum  
 spectat, vetustissima est significatio in l. XII. tabula-  
 rum; cum pro jure perpetuo persequendæ rei sive  
 Dominii, non admisla usucapione sumitur, ut: *Adver-  
 sus hostem* (id est peregrinum) aeterna auctoritas esto, Cic.  
 l. 1. de off. ut & in illo. Qvod surreptum erit ejus rei  
 perpetua auctoritas esto, quæ verba fuerunt l. Atti-  
 niæ. vid. Gell. lib. 17. o. 7. & Dd. ad §. 2. Inst. de usucap. A-  
 liquando pro maiestate sumitur vocabulam l. 50. §. 1.  
 de pet. hered. collata cum l. 91. de her. inst. Aliæ signifi-  
 cationes vocabuli auctoritatis, cum pro actione, pro  
 recvicta l. fin. de evict. vel jure, quod quis ab auctore  
 i. e. venditore, accepit, l. 3. §. fin. de pign. act. aut edicto  
 judic. l. 11. C. si cert. pet. vel pro existimatione vel di-  
 gnitate, cui credendum sit, l. 12. de stat. hom. vel appro-  
 batione tutorum & curatorum tot. tit. Inst. & ff. de auct.  
 tutorum. sumitur, prolixè evolvere non necessem ipu-  
 tamus. Supereft auctoritatis vocabulum, quando ju-  
 ris auctoritas pro vi, potestare, efficacia, pondere, su-  
 mitur. l. 4. §. 1. de in lit. jur. l. 20. qui & à quibus manumis-  
 l. 120. de V. S. & atibi. Quod vocabulum juris attinet,  
 licet illud quoque varia & diversa significet; de quib[us]  
 videri possint l. 11. 12. ff. de Just. & Jur. Calvin. in  
 lex. vocab. Jus. Nos hic vocabulum Juris pro actu,  
 hoc est jussu, seu sanctione, quæ justum præcipit in  
 republica, accipimus, juxta l. 11. de Just. & Jur. videatur  
 Donell. in 1. Comment. cap. 3.

Et quamvis omnis definitio in jure nostro pericu-  
 losa

losa dicatur, l. 102. de R. J. puto tamen Auctoritatem Juris ita hic describi posse, quod sit Juris Auctoritas vis aut potestas legum, quibus Respubl. & qui in illa sunt, reguntur.

V.

Fluit exinde quod diximus hac vi & potestate Remp. & qui in ea sunt regi; Auctoritatem Juris esse generalem. Jura enim non in singulas personas, sed generaliter constituuntur, l. 8. ff. d. II. cum quo convenit Aristoteles l. 5. Ethic. sive ad Nicom. c. 10. Est enim lex commune præceptum, l. 1. d. II. sive cui omnes obtemperare convenit, l. 2. de II. unde & communis Rei publ. sponsio vocatur. d. I. Ubi intricatissima illa oritur quæstio: An adeò universalis sit Juris Auctoritas, ut & in ipsum Principem se exerat illumq; comprehendat? In qua Quæstione cum celeberrimo Dn. Hahnio, olim in Academia Julia Præceptore colendissimo, si de Cæsare sive Principe in hypothesi, de quo l. 31. d. II. loquitur, interrogemur, distinguimus inter absolutam potestatem sive officium; hujus, non illius respectu Principem auctoritati Juris subjicientes & intelligentes. illud in l. 4. C. d. II. Adeò de auctoritate Juris nostra pendet auctoritas. Quod ad Principem in thesi confideratum attinet, distinctiones à prælaudato Clarissimo Jcto in not. ad Wesenbec. d. II. n. 2. p. m. 75. adducas, adhibendas putamus, eoq; nos brevitatis caussa remittimus.

VI.

Secundò quoque dum in descriptione diximus Auctoritate Juris Regi Republicam insignis illius effectus se exserit patetq; Auctoritatem Juris esse obligatoriam, i.e. talem ad cujus præscriptum omnes, qui in Rep. sunt

sunt vitam instituere debeant, ut ex Demosthene Martianus refert in l. 2. ff. de legib. Atque hinc dicuntur leges vitam hominum constringere. l. 9. C. de ll. Et legis virtus esse dicitur imperare, vetare, permittere, punire. l. 7. ff. de ll. Atque hoc loco gravis iterum oritur quæstio: An auctoritas Juris tanta sit, ut & conscientias hominum obliget? In qua quod auctoritatem Juris naturalis ac gentium attinet, nullum ferè est dubium. Quod Jus verò merè civile concernit, putamus æquè leges sive Jus civile in Republ. latum conscientias hominum constringere, ita ut id violantes poenæ mortis æternæ subjiciantur, ad stipulantes Dn. D. Gerhardi in quæst. Polit. 1. dec. 5. q. 8. Cum ita argumentari liceat: Cuicunque mandato DEUS autoritatem suam impertit, id DEI mandatum sive Jus est. Ea nostra facimus, quibus omnis ex nobis impertitur auctoritas, ut dicitur in edict. de concept. ff. ad Trib. §. 6. Mandato verò & legibus Magistratus, suam autoritatem impertit DEUS, cum approbet ordinationem politicam, & ita suam faciat. 1. Pet. 2. v. 13. ad Roman. 13. v. 1. & 2. ad Tit. 3. v. 1. Proverb. 8. v. 15. Quod tamen ad tyrannicas leges vel notoriè injustas minimè est extendendum: Exemplo Papiniani nostri, qui potius mori voluit, quam fraticidium Caracallæ excusare, & ita Juris Auctoritatem auctoritati Principis præposituit, sine ulla justa causa ideo notatus à Joh. Bodin. 3. de Republ. c. 4. n. 294.

## VII.

Tertiò quoque ex præmisfa descriptione Auctoritatis Juris illud colligitur, hanc Juris Auctoritatem esse privatæ auctoritatis derogatoriam. Dum enim legum & Juris auctoritas in Republ. dominari debet, sequitur

Sequitur quod propriæ auctoritati nihil liceat. Ideò  
enim Judiciorum vigor Jurisq; publici tutela in me-  
dio videtur constituta, ne quisquam sibi ipsi permit-  
tere valeat ultionem. l. 14. C. de Jud. & Celic. Hinc pri-  
vata auctoritas auctoritati legum opponitur in legi-  
bus nostris, aliudq; est sua, aliud Juris auctoritate fa-  
cere. l. 6. §. qui judicat. ff. d. re. judicata. l. 4. C. qui bonis ced.  
Hæc via Juris, illa via facti vocatur. Illa concessa,  
hæc regulariter prohibita. Coler. de Proces. Execut. part.  
l. c. 5. n. 23. Debet enim cessare via facti, ubi patet  
via Juris. vid. Lud. Rom. cons. 71. n. 6. Hinc de facto,  
quæ fiunt, dicuntur fieri manu regia, Socin. in cons. 32.  
vol. 1. & multa fiunt de facto, quæ non de jure. arg.  
l. 12. ff. de off. Praef. l. 1. §. biduum ff. quando appell. & ibi gloss.  
Quæ tamen omnia auctoritate Juris pro nullis & infe-  
ctis merito habentur. l. 5. C. d. II. Idq; non solum quo-  
ad ea, quæ contra legem civilem, sed & accessoria ejus  
facta sunt, locum habere putamus, moti l. 112. §. fin. ff.  
de legat. 1. ubi ita ait J Ctus Marcianus: *Divi Severus*  
& Antonius rescriperunt jusjurandum contra vim legum &  
auctoritatem Juris in testamento scriptum, nullius esse momenti.

### VIII.

His itaque generatim præmissis necessarium erit  
in singulorum Jurium auctoritatem inquirere. Jura  
autem omnia posunt commode ratione causæ effici-  
entis in duo genera dividi, Divina & Humana. c. omnes  
distinct. 1. Illa sunt, quæ D E U M immodicè habent  
autorem; Hæc quæ homines, sive humanam ratio-  
nem, suntq; iterum vel naturalia, vel gentium, eaq;  
primæva vel secundaria, vel etiam civilia, prout hoc  
notum est ex t. t. Institut. de Jure nat. gent. & civii. & ibi  
Schneidew.

Jus

I X.

Jus Divinum quod attinet est illud, quod in veteri ac novo Testamento continetur, atque ita ex voluntate Divina originem suam & authoritatem habet. Cum verò non unius generis sit, sed aliud Morale, aliud Ceremoniale, aliud Forense; de Morali dubium non est, quin illud adhuc suam ac plenissimam obtineat auctoritatem, atque omnes adhuc ad oboedientiam obliget. *D. Chemnit. in loco Theol. de Lege DEI. cap. 5. pag. 46;* Imò tanta hujus Juris est authoritas, ut nullam admittat dispensationem, c. 95. c. 11. q. 3. can. 6. & 7. conf. 25. q. 1. nec privilegia ulla adversus id locum habeant. *Baro Enenckel. l. 1. de privit. c. 3. n. 5.* Ceremonialis verò Juris auctoritatem cum adventu Messiae exspirasse, & instar umbræ superveniente corpore evanuisse, ex novo Testamento patet. vid. *Epist. ad Coloss. 2. v. 17.* Quod verò Jus Forense spectat, illud cum nulli alii populo quàm Hebræo datum, & sublata Republ. quoque sublatum sit, juxta *l. fin. de Jurisdicç. extra Jutisdictionem* non amplius obligare potest. Unde nulla religio nobis est adserere; non esse eam illius Juris auctoritatem, ut leges forenses seu politicæ à Magistratu politico hodie latæ, derogare non possint forensibus Mosaicis, sed his per omnia debeant esse accommodatæ.

X.

Juri Divino secundùm quid & objecti particulatis ratione, accenseri cum possit Jus Canonicum, quid de illius auctoritate habendum sit non incongruum erit hic subjicere. Andreas Barbatia enim scribere non erubuit: Jus Canonicum esse à Spiritu Sancto profectum & illuminatum, hominemq; obloqui Spiritui

ritui sancto, qui isti juri obloquatur *Lindeman. de histor.*  
*jur. tb. 384.* Quam adsertiōnem, tanquam blasphemiam in Spiritum sanctum, merito rejicimus. Nos in eo multos errores, (quorum trecentos se emendassē Covarruvias gloriatur allegante Lindemannno *d. l. th. 385.*) absurditates & contradictiones quam plurimas, inveniri, non negamus, de quibus videri poterit *Heinr. Bessel. in tractato singulari. Job. Jacob. Wesenbach. in fin. disp. sup. inst.* Quia autem utile per inutile vitiari non debet, & multa praeclara verbo divino & æquitati non repugnantia in illo jure reperiantur, merito in foro etiam nostro id retinemus & juxta illud pronunciamus quatenus spontaneo & liberrimo Procerum Imperii consensu est receptum. *Vult. in proleg. in fin. & lib. 2. Jurisp. Roman. c. 30. n. 94. Reinking. de regim. secul. & Ecclesiast. l. 2. class. 2. c. 7. n. 5.* Hinc etiam Jus Canonicum interdum derogat juri civili etiam in foro civili *Gail. l. 2. obs. 121. fere per totum.*

*XI.*

Cum igitur de jure Divino egerimus, proxime de Jure Humano agendum erit: In illo autem primum est jus naturale, deinde gentium, idque duplex primævum & secundarium. Licet vero jus naturale etiam divinum possit dici, cum divina providentia constitutum sit *J. penul. Inst. de jur. natur. gent. & civil. tamen,* quia id mediate non immediate ex divina voluntate profectum est, inde à priori merito distinguitur. De hujus autem, nempe juris naturalis subdivisioue in primævum & secundarium, item definitione, hic non erimus solliciti, sed tantum, quomodo ejus auctoritas omni juri prævaleat indagabimus. Fit autem illud

B

tri-

triplici ratione. I. Ob temporis antiquitatem cum  
jus naturale etiam ex Paradiso originem trahat, & con-  
dito humano genere statim cœperit; unde Imperator  
Iustinianus ait: *Palam est vetustius esse Jus naturale quod*  
*cum ipso genere humano rerum natura prodidit: Inst. de re-*  
*rurum divis. §. II.* cum quo convenit Gratianus distinet. s.  
in princip. inquiens: *Naturale jus inter omnia primatum*  
*obtinet tempore, cœpit enim ab exordio rationalis crea-*  
*turae. ideoque ejus auctoritas respectu juris gentium*  
*& civilis, potest appellari vetusior. Secundò Aucto-*  
*ritas hujus juris prævalet aliis ob stabilitatem sive ob-*  
*jecti qualitatem, est enim immutabile §. penul. Inst. de*  
*jure nat. gent. & civil. & ideo etiam indispensabile a. 1.*  
*dist. 13. ut exinde semper æquum & bonum sit l. penul.*  
*d. just. & jur. can. 7. dist. 1. unde nec variatur tempore,*  
*sed immutabile permanet Gratianus all. loco distinet. s.*  
in princip. cum quo convenit elegans locus Aristote-  
lis l. 8. c. 10. ad Nicomach. qui de hoc jure ita loquitur:  
*Φυσικὴ sc. δινάνον τὸ παντοχώ τὸν αὐτὸν ἔχον δύναμιν, i. e.*  
*jus naturale ubique eandem vim habet. Tertiò*  
*hujus juris auctoritas prævalet ob dignitatem, idq; rati-*  
*one causa efficientis, quia juris naturalis causa est*  
*natura creans, id est ipse DEUS, qui divina provi-*  
*dentia constituit hoc jus & cordibus omnium inscul-*  
*psit §. 11. d. Just. & Jur. Hillige. in Donello enucleato l. 1. c. 6.*  
*Harprecht. inst. de Just. & Jur. §. fin. n. 14. Impius est*  
*ergo in DEUM, qui in ejus constituta potestatem sibi*  
*arrogat, cum lex superioris per inferiorem tolli non*  
*possit. Clem. 2. Princ. de Election. Ubi tamen ne quæ-*  
*dam contradictiones oriuntur distinguendum erit,*  
*partim inter ea quæ juris naturalis positivi vel negati-*

vi sunt, cum Suarez. d. II. lib. 2. c. 14. partim inter gra-  
dus principiorem naturalium, quæ quandoque inter  
se colliduntur, ut inferius superiori cedere debeat; ;  
videatur Welenbec. in parat. d. Just. & Jur. n. 15.  
in fin.

XII.

Cognita nunc juris naturalis auctoritate, juris gen-  
tium quoque auctoritatem adeamus, illamq; perscrutemur, quæ etiam respectu juris civilis potest dici anti-  
qvior. Civilia enim jura tunc primum cœpere, quum  
civitates condi, Magistratus creari & leges scribi cœ-  
perunt. Instit. de rerum divis. §. ii. Secundò hæc au-  
thoritas inscribi potest communior; à plerisque enim  
hominibus hoc jus approbatum & receptum, ubi no-  
tabilis JCtus Gajus l. omnes populi. ff. de Just. & Jur. in-  
quiens: *Quod naturalis ratio inter omnes homines constitu-  
it, id apud omnes perèquè custoditur, vocaturq; Jus gentium,  
quasi quo iure omnes gentes utuntur.* Item & Justinianus  
Imperator Instit. de Jur. n. g. & c. §. Jus gentium. quando  
ita loquitur: *Jus gentium omni humano generi commune.*  
Atque hoc Jus uti in primævum & secundarium di-  
stingvitur. Ita primævi illius juris gentium, quoque  
est auctoritas planè præclara ob stabilitatem, ratione  
cujus juri naturali proximè accedit, quod exempla il-  
lius docent. in l. 2. de Just. & Jur. Quod secundarium  
attinet jus gentium, illud quidem majoris est stabili-  
tatis quam Jus civile, verùm non tantæ, ut vel jus na-  
turale, vel jus gentium primævum, cum ex ratiocina-  
tione politicâ, usu exigente & humanis necessitatibus  
illud gentes constituerint. §. 2. Instit. de Jur. nat. g. & c.  
Unde cessante aliqua causa ex his, illud etiam ces-

fare & mutari potest. Ita e. g. captivitas, hoc jure introducta princip. *Instit. de libertin.*: hodie inter Christianos est sublata. *Treatl. lib. 1. Disp. 2. Q. 2. lit. E.*

XIII.

Sequitur tandem Jus Civile, de cuius Auctoritate etiam dispiciendum est. Hoc cum Imperator appellat tale jus, quod quilibet populus sibi ipsi constituit, idq; ipsius civitati proprium sit, facile patet illius Auctoritatem ad alios gentes & populos se non extendere, sed eos tantum constringere, qui sub unius Imperio vivunt, abstractis scilicet illis, quæ ex jure naturali vel gentium retinet, & quatenus præceptis merè civilibus constat. Et Jus Civile quidem cum duplex sit, aliud publicum, aliud privatum, quænam utriusque authoritas sit, breviter indagandum est; Cumq; Jus publicum ad statum cuiusvis Reipub. spectet, §. 4. *Instit. de Just. & Jur.* & ideo huic tanquam fundamento Imperii salus innitatur, meritò maximam obtinere debet auctoritatem, quippe & leges id concernentes fundamentales appellari solent. Hinc etiam illud mutari vix potest, nisi quis & statum & salutem Imperii evertere velit. videatur Reinkingius *de regim. secul. & Eccles. l. 2. class. 2. cap. 6. num. 11. & seq.* Quod tamen eo non est extendendum, ut nullam plenè mutationem admittat, cum juris civilis tantum partem constituat, quod Jus Civile pro conditione temporum est mutabile. §. penult. *Instit. de Jur. nat. gent. & civil.* Ita Status sive Jus publicum in Imperio Romano fuit mutatum constituto Principe cum Reipub. per unum consuli necesse esset. l. 2. §. 11. *de orig. Jur.* licet Brutus Romæ populum ejectis regibus juramento

to

to obstrinxerat, ne quem unquam regnare iterum patet. vid. *Livium lib. 2.* Et nostro tempore multa ex fundamentalibus II. Imperii, e. g. Aurea Bulla per Instrumentum Pacis, divinâ gratiâ Osnabrugî feliciter Anno 1648. conditum, sunt immutata, quoad Electoratum octavum & alia. vid. *Instrum. Pacis.* Idq; jure fieri potuisse non est dubium, cum salus Reipubl. suprema lex sit. videatur Carpzov. de leg. Regia German. cap. 3. Sect. 3.

#### XIV.

Quod Privatum Jus attinet, quod scilicet ad singulorum utilitatem spectat. § ult. Inst. de Jur. nat. gent. & civ. illud non immerito suam in Republ. quoisque viget obtinet auctoritatem. Amittit autem illam quamprimum his, qui condendi juris in Republ. potestatem habent, placet. Unde dicit Imperator in §. penult. Inst. de Jur. natur. gent. Ea quæ quæque civitas sibi ipsi jura constituit, sèpè mutari solent, vel tacito consensu populi, vel alia lege lata. Quod tamen non est temerè & absque urgenti causa faciendum, in rebus enim novis condendis evidens debet esse utilitas, ut receatur ab eo jure, quod diu æquum visum est. leg. 2. ff. *Constit. Princ.*

#### XV.

Jus Privatum, cùm vel scripto constet, vel sine scripto, quod nempe usus approbavit, § 9. Inst. de Jur. natur. gent. & civil. de illius quoque auctoritate inquirendum venit. De qua est l. 2. C. quæ sit longa consuetudo, ubi ita Imperator rescribit: *Consuetudinis usus ve longædi non vilius est auctoritas, verum non usque adeò sui natura momento, ut aut rationem vincat aut legem.* Cujus B 3 legis

legis non esse illum sensum arbitror, quasi consuetudo anteriori legi contraria, non sit illarum virium, ut possit abrogare eam, sed quod consuetudo in genere considerata non vincat legem, hoc est, non maiorem autoritatem habeat, quam lex in suo genere. videatur Lopez. animadvers. c. 5. Perez. in Cod. ad b. t. num. 11. Unde & Feudista scribit cap. 1. libr. 2. Feudor. Legum Romanorum non est viles authoritas, sed non adeò vim suam extendunt, ut usum vincant aut mores: Nullum enim est Jus positivum, quod consuetudine contraria tolli nequeat. Bald. in c. Imperiale. §. prater ducatus. n. 3. de probib. feud. alien. per feud. quem allegat Matth. Colerus in tractatu de process. execut. part. 1. cap. 3. num. 178. Hinc Paulus I<sup>CTUS</sup> Magnæ auctoritatis hoc Jus, scil. consuetudinum, babetur, quod in tantum probatum est, ut non fuerit necesse scripto id comprehendere. l. 36. ff. de ll.

XVI.

Jus Civile verò quanquam ex unaquaque civitate appellatum, tamen quoties non additur nomen, cuius sit civitatis, appelletur, per excellentiam intelligitur Romanum. §. 2. ff. de Just. & Jur. ibid. Schneidw. Hujus igitur in specie considerati, qualis & quantas sit Auctoritas, quæritur? Et quidém quamvis Baldus & Bartolus putaverint, Romanas leges, ut naturalem rationem, omnibus imperare, ut etiam Reges & populos Imperium Romanum non recognoscentes, in cassibus non decisis, per leges & consuetudines suas, legibus Romanis obligentur. Schrader. Conf. 3. num. 217. Tamen cùm leges extra Jurisdictionem condentis obligare neminem possint, l. fin. de Jurisdic<sup>t</sup>. hinc illi opinioni

opinioni accedere non possumus; quemadmodum  
etiam hoc pluribus demonstravit Celeberrimus Dn.  
**Conringius** in libell. de Jurispubl. Justiniani auctoritate in  
Germania. pag. 300. ubi probat, Romanas leges non  
obligare Justitiae quadam necessitate. Interim ta-  
men negari non potest, illas leges tantum esse aequi-  
tatis & Justitiae, ut omnium ferè populorum leges, vel  
ex illis desumptæ sint, vel interpretationem, supple-  
tionemq; accipiant, ut singulari libello probavit  
Jctus Anglus Arthurus Duck. de usu & auctor. J. Ci-  
vil. Roman. in Dom. Princ. Christian. Imò & Turcas Co-  
dice uti, ex Leuncla: refert: Dn. Matthi. Stephani vol.  
1. disput. 1. thes. 21.

### XVII.

Verùm licet Jus Civile Romanum alicubi rece-  
ptum sit, non tamen tanta est auctoritas illius, ut jure  
statutario non possit ei derogari. Ideoq; de jure sta-  
tutario nobis erit agendum. Notissimum est, quod  
Jura statutaria derogent communibus, uti specialia  
generalibus. Albert. de Rosa. de Statut. lib. 1. qv. 7. per  
tot. Cothman. vol. 1. cons. 1. n. 764. Jus igitur Statuta-  
rium magnæ est auctoritatis in eo loco, ubi latum  
est, ac viget arg. l. 3. C. de adif. privat. ibiç; derogat  
juri communi. Bart. & Dd. in l. omnes populi. Institut. de  
Just. & Jure. Schneidew. ad Inst. de Actionibus. §. quedam  
action. n. 64. Forma enim Statuti ad ungvem servan-  
da est Gail. l. 2. Obs. 14. n. 2. & 3. Obs. 79. n. 4. Obs. 124.  
ferè per totum, quo brevitatis studio me remitto.

### XVIII.

Ad Jus Statutarium vel consuetudinarium refer-  
re

re quoque solent Jus Feudale, per text. in cap. 1. §. fin.  
lib. 1. feud. tit. 1. idcirco non extra statuentium Juris-  
dictionem potuit locum habere. Quatenus tamen  
immemoriali temporis usu receptum est, merito Ju-  
ris Auctoritatem habet, ipsisq; Romanis legibus de-  
rogat, juxta textum cap. 1. lib. 2. Feudor. supra thesi al-  
legatum. Quamvis etiam dici possit ac credibile  
sit, ex locis aliquibus esse confirmatum ab Imperato-  
re Friderico hoc Jus, & ita plenaria auctoritate, mu-  
nitum. Consuetudini non male cum Treutler. disp.  
1. thes. 19. lit. A. subjungi posse putamus, 1. observan-  
tiam Judicii, cum juxta l. 38. de ll. in ambiguitatibus,  
quæ ex legibus proficiuntur, consuetudo, aut *rerum*  
*perpetuò similiter judicatarum auctoritas vim legis obtinere de-*  
*beat.* 2. Stylum curiæ, quoniam & ille pro Lege &  
Rege habeatur ac Jus faciat. c. ex literis. 11. de constit.  
Gail. 1. obs. 65. n. 8.

### XIX.

Ultimò notandum est, etiamsi Juris auctoritate  
regitur Respublica, tamen ita cum jure & legibus es-  
se comparatum, ut omnes casus, qui quandoque inci-  
idunt, non possint illis comprehendendi. l. 10. ff. de Legib.  
Hinc itaque cætera, quæ tendunt ad eandem utilita-  
tem, interpretatione suppleri debent. l. 12. ff. de Legib.  
Hoc ipsum cum fit, dicitur Juris Auctoritas porri-  
gi, id est, extendi, ut est textus expressus in l. 36. §. 1.  
de stat. lib. Scire enim leges, non est verba earum te-  
nere, sed vim ac potestatem. l. 17. de ll. Verbum e-  
nim ex legibus sic accipiendum est: tam ex legum  
sententia quam ex verbis. l. 6. §. 1. de verb. signif. Hinc  
benigni-

benignius leges interpretandæ, quo voluntas earum conservetur, l. 18. ff. de ll. quod fit per extensivam legis interpretationem, de qua vid. prolixius Svarez. de legibus l. 6. c. 2. 3. Cum verò ejusmodi extensionem leges non admittunt, tunc dicitur finita legis auctoritas, per text. elegant. in l. fin. §. ait lex. de Divort. ut & co-angustari aliquid auctoritate legum in l. 120. de V. S. Aliquando etiam restrictiva interpretatione legis o-  
pus est, vid. Sutholt. in disput. 1. ad inst. th. 16. Quia & evenit, ut non aliundè, quām vel à Principe peti pos-  
sit interpretatio, l. 1. l. 12. C. de ll. vel quandoque ejus  
vicarii, vel Magistratus ex potestate precaria, quod  
vocatur Jurisdictione supplere legem. l. 13. ff. de ll.

XX.

Supereft igitur antequam finiamus disquirere,  
quænam sit interpretationis Jutorum Auctoritas.  
Et quidem quamvis olim Jtorum sententiæ & opini-  
ones eam tenuère auctoritatem, ut judici à responsis  
eorum non liceret recedere, §. 8. Instit. de Jure nat. gent.  
& civil. tamen postea non amplius necessaria, sed pro-  
babilis respondentium Jtorum Auctoritas esse cœ-  
pit. Treutl. vol. 1. disp. 1. thes. 7. lit. E. arg l. nemo. C. de Sent.  
& interlo. Gloß. in l. 1. C. de Prof. Bald. in auth. generaliter. C.  
de Episcop. Quid & de Auctoritate glossæ, quam ido-  
lum esse imperitorum advocatorum. post Cynum Ale-  
xander dicit 4. conf. 51. ut & de communi opinione asse-  
rendum. Zaf. in l. 2. §. post bunc de orig. Juris. & 2. sin-  
gula: responsor. c. 1. in fin. n. 27. Interea tamen Advo-  
catus non solum eminentis Doctoris decisione specia-  
li etiamsi sine lege loquatur, uti potest. Ludov. Go-

C mez.

102003

mez. in §. & què. 2. Instit. de act. Schult. in addit. ad Modest.  
Pistor. qu. 76. num. 46. Sed & qui pro se habet consi-  
lium duorum Doctorum approbatorum, præsumitur  
probabilem habuisse litigandi causam. Bald. & Saly-  
cet. in l. Juris. qui admitt. ad poss. adeoque etsi fortè  
causa cadat, tamen in expensas litis non est con-  
demnandus. arg. l. 79. de jud. juxta Treutl. d. l. disp. 1. tb. 7.  
in fin. Verùm quia instituti ratio summa haurire  
jussit, curiosius & fusiū omnia exponere  
non licet, ideoque hīc ab-  
rumpimus.

DEO T. Opt. T. Max.

INFINITA SIT  
GLORIA.



CORROL-

## COROLLAR.

AD causarum defensiones authoritates Medicorum, Philosophorum, Poëtarum, Rusticorum, Majorum, Historicorum, Sanctorum allegare possumus.

MEDICORUM. sic allegatur Auctoritas Hippocratis, l. 12. ff. de statu homin. l. 3. §. 12. ff. de suis & legitimis bæredib. Galeni, can. Netales accipiamus cibos. 29. de consecration. distinct. s.

PHILOSOPHORUM. ita citatur Plato, l. si quis ipsos cultores. 2. de Nundinis. Aristoteles, l. Si pater meus. 36. de solution. & liberation. Demosthenes, l. nam & Demost. 2. ff. de Legib. Chrysippus, ibid. d. ll. Cicero, l. Fulcinius estimat. 7. §. 4 ff. quib. ex causis in possess. eatur. l. Cicero in orat. 39. ff. de pœnis.

POETARUM. e. g. Homeri, vid. §. 2. Inst. de empt. & vendit. item §. 2. Inst. ad L. Aquil.

RUSTICORUM. l. si chorus. 79. ff. de Legatis. III.

MAJORUM. l. more majorum. 5. ff. de Jurisdic. l. Jus pluribus. II. de Just. & Jure. l. liberorum autem. II. ff. de his qui notantur infamia. l. I. §. 1. ff. de officio ejus cui mandat. est Jurisdic.

HISTO-

HISTORICORUM. vid. Nicolaum Everb.  
in locis arg. legal. l. 95. n. 9. per ibidem allegata,  
ubi addit: Si à nostris majoribus creditum vi-  
demus, nos etiam credere debemus, sicut aliis scri-  
pturis antiquis.

LOGICORUM. uti hoc benè declarat Za-  
sius in l. de pupillo. §. si plurimum. 2. ff. de novo o-  
per. nunci. & Sali. in l. 2. C. de custod. reor. quos  
Dd. allegat. Nicol. Everhard. in tractat. cit. l. 8.  
de toto ad partem. n. 13. addens Logicorum regu-  
læ, quia per eas disserendi docetur ratio, locum.  
habent non solum in cœteris doctrinis, cum logi-  
ca ad omnium methodorū principia viam osten-  
dat: teste Porphyrio. quem citat, all. aut. l. c.

SANCTORUM. vid. Gratia: c. de libellis. dist. 20.  
præfertim si illorum dicta auctoritate novi vel  
veteris Testamenti munita sunt, tunc: enim præ-  
fertur auctoritas eorum decisioni papali. videa-  
tur Schneidew. Instit. de action. §. quædam acti-  
ones. n. 60. per ibid. alleg.



-OTBII

99 A 6917

ULB Halle  
002 546 884

3




50


Vf 17 Retros ✓





**Farbkarte #13**



B.I.G.  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
**Q. D. B. V.**  
**DISPUTATIO INAUGURALIS**  
**DE**  
**AUCTORITATE**  
**JURIS,**  
**Quam**  
**Numinis Summi Auspiciis**  
**Decretoq; Nobilissimæ Facultatis Juridicæ**  
**in Almâ Gryphiswaldensi Academiâ**  
**P R A E S I D E**  
**VIRO AMPLISS. EXCELLENTISS.**  
**N O B I L I S S I M O**  
**Dn. JOHANNE POMERESCHIO,**  
**J. U. D. Professore Ord. & p. t. Jurid. Facult.**  
**DECANO Spectabili; Mæcenate Fautoreq; suo ætatem**  
**colendo & honorando,**  
**Pro impetrandis summis in utroq; Jure Hono-**  
**ribus & Privilegiis Doctoralibus**  
**solemni disquisitioni**  
**Ad diem XVI. Septembris ANNO M. DC. LVI.**  
**In Curia Urbana horis solitis**  
**subjicit.**  
**JOANNES CHRISTIANUS Mühlenkampf /**  
**Peinensis Saxo.**  
  
**GRYPHISWALDI,**  
**Typis Jacobi Jegeri Acad. Typogr. exscripta.**  
*21/22*